

ortu naturæ ipsæ congregatæ sint. Est etiam admiratio nonnulla in bestiis aquatilibus iis, quæ gignuntur in terra, veluti crocodili fluviatilesque testudines quaedamque serpentes ortæ extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. Quin etiam anatum ova gallinis saepe supponimus; e quibus pulli orti primum aluntur ab his, ut a matribus, a quibus exclusi fotique sunt: deinde eas relinquunt et effugiunt sequentes, quum primum aquam, quasi naturalem domum, videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam.

Cap. XLIX. Legi etiam scriptum, esse avem quandam, quæ Platalea nominaretur: eam sibi cibum quaerere volantem ad eas aves, quæ se in mari mergerent: quæ quum emersissent piscemque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum ille captum amitterent, id quod ipsa invaderet. Eademque hæc avis scribitur conchis se solere complere, easque, quum stomachi calore concoxerit, evomere, atque ita eligere ex iis, quæ sunt esculenta. Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere, et moveri prope aquam: ad quas, quasi ad escam, pisces quum accesserint, confici a ranis atque consumi. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo. Ergo alter alterius, ubicumque nactus est, ova frangit. Illud vero ab Aristotole animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam; ejus autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur: deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quem grues efficiunt, ea tamquam a puppi, ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium colla et capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet cui innitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat; et in ejus locum succedit ex iis, quæ acquirunt: eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. Multa ejusmodi proferre possum: sed genus ipsum videtis. Jam vero